



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 98. Appellatio Cardinalium ad Concilium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

dem quoque die Lucca abeuntes, unacum suis famulis Pisis advenerant.

Sæcul. XV.  
A.C. 1408.

§. XCVIII.

*Appellatio Cardinalium ad Concilium.*

Igitur apud Gregorium duntaxat sui quatuor recens creati remanserunt.

Niem. l. 3. c. 32.

Cardinales, cum tribus aliis ex Senioribus, & hi quidem eo solum consilio, ut eum ad saniora reducerent. Ast Pontificem semper flecti nescium experti, brevi ad suos transiere Collegas, qui omnes concordî voto conceptam a se appellationem ad Generale Concilium, Pontifici significabant, cunctosque Christi fideles literis encyclicis de secessu suo certiores reddebant. Hanc suam provocationem tueri existimabant ex eo, quod illis Pontifex sine ipsius venia Lucca urbe abscedere inhibuisset, ejusmodi vero mandatum injustum, ac proin nullum esse declarant, cum absque periculo vitæ, aut carceris (\*) metu ibidem commorari, eis

inte-

(\*) *Continuator in editione Parisiensi An. 1726. quam sequimur, in gallico textu habet: empoisonnez, id est veneno aliquem occidere, sed typi errorem irrepisse, ac emprisonnez, seu carceri*



Sæcul. XV.  
A.C. 1408.

integrum non esset. Insuper aliud allegant præceptum, quo sine expressio Gregorii Papæ mandato congregari prohibebantur, hoc autem S. Collegii juribus, quibus gaudet, adversari contendebant. Tandem postrema appellationis causa erat, quod vetuisset Pontifex, ne communicent cum Legatis Petri de Luna, nec cum Oratoribus Gallicis, quod tamen repugnare dicunt juramento, quo quævis media unioni Ecclesiæ necessaria, aut utilia sese adhibituros promisissent, proin liberam conveniendi, ac cum parte adversa conferendi facultatem sibi esse relinquendam, cum sine ea nec Ecclesiæ concordia sperari, nec perfici posset. His igitur de causis appellant I. a Papa male informato ad Papam melius informandum. II. A Papa ad Dominum nostrum IESUM Christum, cujus vices gerit. III. Ad Concilium Oecumenicum, cui summorum Pontificum gesta dijudicare competit. IV. Denique ad Papam proxime eligendum, cujus erit a suo Prædecessore perperam sancita corrigere. Hæc appellationis acta confestim Pisis publicata,

*carceri tradere, legendum putamus, nam in ipso appellationis instrumento hæc habentur: non poterunt ibi morari cum securitate, & sine metu carceris aut mortis.*



cata, & postera die illorum formula ad Gregorium Papam transmissa fuit.

Sæcul. XV.

A.C. 1408.

§. XCIX.

*Gregorii responsio super hac appellatione Cardinalium, quos anathemate percellit.*

Gregorius in suo ad hanc appellationem responso pronuntiat, illam fuisse hæreticam, & sacris Canonibus contrariam. Dein rationes exponit, quibus permotus Cardinalibus Urbe Luccensi exire, congressus agere, & cum Cardinalibus Benedicti, atque oratoribus Gallicis conferre prohibuisset. Satis diffuso calamo exaggerat imbecillitatem causarum appellationis, seque eam nihili omnino habiturum declarat. Tandem contra eos excommunicationis sententiam vibrat, illosque omnibus suis dignitatibus, ac beneficiis exuit. Verum Cardinales his adeo non fuere perterriti, ut potius concurrente quorundam ex Gregorii Aulicis opera, Luccæ Pontificem famoso prosciderint libello, quem ad nostra usque tempora servatum Theodorico Niemo in acceptis referre tenemur. In eo summus Pontifex non solum traditur velut schismaticus, hæreticus, Antichristi præcursor, fraudum Architectus,

*Hyst. Ecclesiast. Tom. XXV. I atque*